

## PROOEMIUM.

Constitueram mecum, specimine inaugu-  
rali ea, quae ad dignoscendam ac diu-  
dicandam et curandam necrosin ossium  
faciunt, copiose et integre exponere iis-  
que nonnullas obseruationes huc spectan-  
tes e diario Instituti clinici medico-chi-  
rurgici Ienensis desumptas subiungere: sed  
egressus sum a proposito, cum librum  
egregium Ill. WEIDMANNI \*) legerem,  
quippe qui hoc argumentum tanta eru-  
ditione et sollertia pertractauit, vt tota  
haec materia scribendi penitus exhausta  
videatur. Sufficiat igitur, vt obseruatio-

A 3

nibus

\*) *De necrosi ossium.* Francof. ad Moen. 1793. fol.

nibus denuo probare studeam ea, quae Vir Ill. summo, quod ipsi inest, ingenii acumine protulit. Hanc symbolam, quam illi thesauro addere tentavi, si peritis harum rerum arbitris non plane displicuisse cognouero, valde laetabor, meque non inutilem laborem suscepisse mihi persuadebo. Ignoscant autem velim beneuoli Lectores, si qua inueniant nec eleganter satis dicta nec erudite proposita: non enim a iuvene et tyrone exspectanda esse videtur summa in rebus suis absolutio atque perfectio. Hoc solum moneo, *veras* esse obseruationes, quas retuli. Pro veritate illarum non solum interpono meam fidem, quippe qui duos illorum aegrotorum, de quibus sermo est, eorumque curationem ipse vidi, sed spondet etiam pro illa fides PRAESIDIS mei et Ill. HUFELANDII, quorum curae Institutum clinicum a Serenissimo Duce Viniariensi commissum est.